



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Ivlivs Cæsar Scaliger Arnoldo Ferrono Iuriscons. disertiſimo. S. LXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

IVLIVS CÆSAR SCALIGER
 ARNOLD O FERRONO
Iuriscons. disertissimo. s. LXXXV.

FACILIORIS ætatis Arnolde Ferrone
 lusus meos cum ita tibi placuisse vi-
 deam, ut ex tuo iudicio, quod equidem ma-
 ximum atque acerrimum semper existimia-
 ram, ad eorum laudem quamplurimum ac-
 cessionis factum sit: haud inuitus feci, ut
 hæc quoque grauioris operæ monumenta
 mea tibi deberi merito iudicarem. Qui
 enim supra ætatem tuam & grauissime sa-
 peres, & disertissime eloquereris, mea illa
 studia, quæ ad istos spectarent annos cum
 magnopere probares: has quoque sce-
 riores horas, quæ ad istos admirabiles mo-
 res tuos pertinerent, receptas tibi esse debe-
 re necessario arbitrabar. ut qualem te ipsum
 nobis & polliceris, & præstas; talem te nos
 omni laude cumulatissimum agnoscamus.
 Noui opéris igitur argumentum vetus. il-
 lud quidem, sed aut incivilibus subsanna-
 tionibus fœdum, aut illiberalibus obsecen-
 titibus infame, Satyricæ subtractum im-
 puritati, transtulimus in orbem quasi quen-
 dam humanæ censuræ. Quæ cum a vete-
 ribus Nemesis cuidam prisco illi quidem,
 sed

sed nequaquam ficto numini attributa fuerit: eius nomine Tragoëdiam hanc nostram non imprudenter, opinor, inscribendam censuimus. Ac quanquam longe aberat a moribus meis acer iste taxandi modus: quippe qui mei ipsius odiosus semper, sepe vero etiam iniquus iudex extitissim: tamen quos in me ipso errores indignabar, in aliis mea culpa inolescere, quoad possem & liberet, nequaquam permittendum mihi esse videbatur. Ac si nihil corrigendo sedulus proficissim: eos tamen cum cæteris bonis, tum mihi valde displicuisse testatum relinquerem. Quique exemplo atque re aliis prodeesse non possem: at oratione saltem officio meo satisfacrem. Nostram superbiā defleo, non ferendumque supercilium: quod minimi temporis nutu atque momento stat. Si moderatius atque sanius sapiamus, quæ naturæ nostræ atque genio mendæ cognatæ sunt, commodissime tegi, si penitus tolli non possint. Eo tendit vniuersæ orationis nostræ vis, id vnum spirat, ut ex despectione nostri, suspiciendi esse debeamus. Quid enim miseri sumus? quibus periiit quod fuit? abest quod futurum est? aut quid aliud adest nobis, quam puncta illa minuta præcipitis atque ruentis tempestati-

pestatis? sed illius infensa infestaque, cuius maleficium ad nihilum rapiens nos , vita quam exprobrat, beneficium superat. Quid enim obtulit , ac dedit nobis vltro , quod inuitis atque renuentibus ablatura erat? At vero quantulum usum sui reliquit aut qualem? Quae ratio una satis fuit , vt ego tragica grauitate miserias ita nostras deplorem. quibus admiscere orationis numeros atque lenitatem prudentiae fuit: vt amaritatem loci captus viator ne euolaret , sed explorando sensim salubrioris aeris commoditate perfrueretur. Postquam consilij mei tibi reddidi ratione , styli naturam declarasse: nisi & se ipse ostentaret omnibus caassis , quibus esse meus deprehendetur , & tu longe præstantius perpendere ipsum posses, quam ego tibi metiri illum , pressum, amplum , grauem, dulcem , sapidum, frugi, sibi ipsi dissimillimum ubique , atque propterea similem sibi: politum vero ac tersum , rotundumque ita , vt omni ex parte respondeat: atque nihil extet otiosum. Quamobrem cum præter cæteras omnes meas lucubrationes vehementer hæc mihi probaretur : quod & argumento sapientiae nitebatur : & oratio mea ibi mecum quasi canescet : non dubitaui commi-

mittere illas fidei excclentiss. chalcographi
 M. Vascosani, viri & diligentia insigni , &
 doctrina singulari , & fide incomparabili,
 cuius ope quam mundissimis formis ede-
 rentur. cui, tanquam parenti alteri, fætuum
 meorum debeam operam hanc ego, tuq.,
 aliquie , qui aut per nos profecerint virtute,
 aut poematii suauitate grauiorum tædio
 negotiorum leuati sint. Valc Agenni. id-
 bus Octobris. M.D. XXXIV.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

ARNOLDO FERRONO

Iureconsulto S. D. LXXXVI.

Non potui celerius, Arnolde Ferrone
 vnicum decus atque ornamentum Iu-
 risprudentiæ, tibi negocium confectum da-
 re, ac ne nunc quidem totum , ita non so-
 lum legitimorum studiorum obiectu cur-
 sus ille noster retardatus est ; verum etiam
 Fortunæ procellis, ut tu ipse scis agitatus, in
 Musarum portu conquiescere necquiui: su-
 perauit tamen fatalis illa peruicacia mea,
 vt tanto acrius incumberem , quanto veh-
 mentius repellebar. Absolutum igitur hy-
 mnum in deum patrem ad te mitto, cuius
 diu-